


DESCRIPTIONIS INDIÆ OCCIDENTALIS,

LIBER DUODECIMUS.

CHILE.

C A P. I.

Chilensis Præfecturæ limites, cæli solique qualitates.



PRÆFECTURA *Chilensis*, si paulo latius sumatur, (quemadmodum illam fere sumit *Herrera*) pertingit ab extremis Peruvix finibus ad Fretum usque Magallanicum; patetque in longitudinem quidem inter Arctum atque Austrum, inde ab exordio vallis *Copiapo* sive vigesimo sexto gradu latitudinis Australis, ad ipsum Freti os, leucas circiter quingentas; in latitudinem vero inter Occasum atque ortum, à Mari Australi ad Atlanticum, ubi maxime quadringentas aut quingentas leucas, ubi minimum nonaginta vel paulo plures aut pauciores; quibus limitibus plurimæ vastæ regiones atque provin-

ciæ continentur, quarum pleræque nondum ab Hispanis domitæ, multæ quoque ne quidem unquam fuerunt lustratæ. Si verò proprie & strictius accipiatur, pro ea regione quam Hispani jam à multis annis, pauculis oppidis colere cœperunt, longe angustioribus limitibus comprehenditur, quippe quæ secundum littorum ductum in longitudine non supra trecentas leucas contineat, in latitudine tantum viginti & nonnullibi pauciores: ab ora nimirum Maris Australis ad vasta Andium juga, quæ uno & contiguo pene ordine secus orientalem harum regionum plagam, ad Fretum usque Magallanicum discurrunt & hic imprimis vaste sese attollunt & perenni nive tecta visuntur. De ea autem potissimum nobis propositum hoc libro agere, de Magallanica sequenti.

Nominis rationem explicat *Augustinus de Zarate* in Historia Peruvix: *Chilem* dici à frigore, quia è Peruvia non nisi per frigidos & nivosos montes potest adiri, *Chili* enim Peruvianis significat frigidum. Tota autem hæc regio extra torridam Zonam & ultra Tropicum Capricorni sita, pro variis à Polo Antartico sive Australi distantis, varias aëris temperies & tempestatum vicissitudines perpetitur: quumque pene totidem gradibus à Polo Antartico, quot Hispania ab Arctico divergat, contrarias plane anni tempestates experitur, ita ut hic hyems sit, quum æstas est in Hispania & contra. Nam quum Sol superato Æquatore ad Cancri Tropicum properat, tum & pluvix ingruunt & frigus hic sentitur; nempe à mense Aprili ad Septembrem; & contra quum Sol ad Tropicum Capricorni revertitur, raræ hic pluvix, sudum plerumque cælum & modici æstus percipiuntur. Hac anni tempestatum vicissitudine fit ut & Indigenæ harum provinciarum, ingenio atque industria ad Europæos propius accedant, quam cæteri Americani, & major frugum atque fructuum similitudo deprehendatur.

Solum harum provinciarum secundum oram Maris Australis magna sui parte planum aut in modicos colles assurgens, montes autem, quos in Peruvia *la Serrania* appellari diximus, tribus quatuorve leucis à littore communiter absunt, nonnunquam & descendunt ad ipsum littus & à fluctibus marinis pulsantur, ut suo loco annotabitur. Amœnissima porro est regio & perfoecunda, atque omnium frugum haud secus quam Hispania ferax, Triticum messe atque vindemia juxta abundans, pascuis

pascuis denique supra modum luxurians : salubris quoque & egregium inter æstum atque frigus sortita temperamentum, æstatis atque hyemis pro tempestatum mutatione æqualiter compos : Ver illorum inchoatur à Septembri, æstas à Decembri, autumnus à Martio, hyems à Junio : longissimum diem festo *S. Lucia*, brevissimum *S. Barnabæ* experiuntur : majorem tamen æstivis mensibus calorem quam hybernis frigus tolerant, rara tonitrua aut fulgura. In quibusdam vallibus, stato tempore ros quidam decidit ita spissus ut coaguletur & frondibus plantarum instar sacchari adhærere videatur, qui collectus & suavis admodum est & eundem pene usum præstat, quem Manna. Gramina hic propter idoneam humiditatem fere perpetuo virent, & arbores in montanis nunquam frondes suas deponunt : pascua, Rege Hispaniarum ita volente, communia sunt omnibus & singulis colonis : Venationis & piscationis jus promiscuum, tam in mari quam in fluminibus, lacubus & stagnis : Iter hac agentibus in oppidis atque prædiis, victus atque hospitium gratis præbere consuetudo obtinet.

C A P. II.

Animalia, fruges, plantæ hujus præfecturæ, Indigenarum mores.

IN tota *Chilensi* regione ovium quoddam genus reperitur, tam domesticarum quam silvestrium, quæ formâ ad Camelos magis accedunt, nisi quod gibbo careant, cæterum longe majores quam Europææ & plerumque ulnam Hispanicam proceræ, collo oblongo & tereti, rictu fisso, per quem spumam, quum irascuntur, ejaculantur in illos à quibus se lædi opinantur; caro illarum paulo sicciior quam Europæarum; cicures colore ut plurimum sunt candido aut nigro, interdum & cinericio; silvestres vero & montenses colore sunt igneo aut fulvo; longa, levi atque adeo nitenti lana vestiuntur, quæ precio Hispaniensem longe superat : nam quum vellus ovillum in Hispaniis uno regali venundetur (*Hispani* authoris sunt verba) harum singula vellera aureo æstimantur. Ex hac lana certi panni texuntur, quorum splendor ad Camelottorum nitorem quam proxime accedere dicitur. Porro ovibus hisce aures perforant, & foraminibus innectunt funes, quorum attractu easdem regunt & educunt quo libet; solutæ enim velociter admodum currunt, præsertim silvestres, quæ equis pernitate pares esse feruntur. Sed de his in Peruvia plura diximus.

Chincilla. *Richardus Hawkins*, meminit hic cujusdam animalculi, quod appellant *Chincillam*, magnitudine sciuri, colore fusco, sed pilo adeo levi & glabro, ut omnes aliorum animalium pelles superet, & in hisce regionibus & vicina Peruvia ab omnibus maximi fiat.

Teca. Præter triticum, hordeum, Mayzium, quæ tellus abunde producit, nascitur in hisce provinciis aliud quoddam genus farris, quod ab Indigenis nominatur *Teca*; folium illius parum differt ab hordei fronde; culmus instar avenæ assurgit ad dimidiæ ulnæ Hispanicæ altitudinem, frumentum illius paulo minus est siligine: Barbari solent illud demetere antequam plane maturuerit & in aristis siccare ad solem, dein excussum quum opus habent, sub cineribus torrere, denique tostum super saxum quadratum, rotula lapidea redigere in pollinem; hanc circumgestant iter facientes, nutrit enim egregie, ita ut modiolus viro ad octiduum sufficiat; hæc & cibum & potum ipsis subministrat; nam modica aqua mistam pro obsonio, copiosiore autem dilutam pro potione usurpant.

Murtilla. Præterea & genus quoddam silvestrium arborum hic passim reperitur, inde à triginta & sex gradibus ab Æquatore versus Austrum, ad Fretum Magallanicum usque, quæ fructus ferunt uvarum in modum racematim collectos & pendulos, pisorum magnitudine, granorum mali Granatensis forma, atque adeo colore: Indigenæ vocant hanc arborem *Vnni*, Hispani *Murtillam*; fructus sunt sapore inter suavem atque acrem medio; quique & calefaciunt & exsiccant: Liquor autem quidam ex ipsis exprimitur, qui quam proxime accedit ad vinum, non modo palato gratus, sed & ventriculo propitius: digerit superfluos corporis & præsertim capitis humores; adjuvatque ventriculi appetitum; clarus est atque dilutus, quippe feces suas sponte & sine ulla ignis ope egerens; etiam acetum ex iisdem fructibus

atibus fit, odore & sapore longè præstantius, quam quod ex uvivis immaturis conficitur.

Nihil autem hæc provincias ita commendat quam auri copia, & quidem ita absoluti, ut omnium aliarum provinciarum aurum longe superet.

Ibidem jam postquam Hispani sunt ingressi, tanta dicitur reperiri caprarum copia, ut singulis annis supra quinquaginta millia mactent tantummodo vellerum gratia, & sevi. Triticum quoque supra modum commendatur: habeo enim authorem, qui far tritici mole ad pineas nuces dicat accedere; unde non raro Peruviam annona juvant; quod Chilensibus perfacile est, aura semper secunda à Chile ad Peruviam flante.

Indigenæ colore sunt candido, sed fronte hirsuta & capillata, quod ipsis ab aëris nimia humiditate volunt accidere: olim quidem pene nudi agebant, nunc vero amiciri & vestibus uti gaudent: pecuariae quoque studiosissime dant operam, carpunt lanas & texunt pannos. Cæterum ob continua bella, quæ Araucani & illorum confœderati jam à pluribus annis continuo cum Hispanis gerunt, regio magna sui parte malè culta & incolis est infrequentior; nulla enim orbis Americani pars carius Hispanis constat, quam *Chile*, nullibi hodieque incertiores sedes habent; nusquam plures aut graviores clades sunt perpeffi, & adhuc hodie perpetiuntur, uti mox plenius dicemus.

C A P. III.

*Atacama desertum, & itinera è Peruvia ad Chilen, primaque
Almagri expeditio in hæc provincias.*

C*Harcensem* Conventum Juridicum sive Australiorem Peruvix partem, dirimit à Chilensibus provinciis, vasta solitudo, quæ vulgo *Atacama* appellatur: à Peruvia enim ad Chilen, ducunt duo terrestria itinera, (quibus tamen quam rarissime utuntur Hispani,) unum per hanc solitudinem, alterum per montana. Patet hæc *Atacama* solitudo in longitudinem, inter Arctum & Austrum, secundum oram Maris Pacifici nonaginta sive centum leucas, Tropico Capricorni quasi mediam secante: Regio tristi & inamœno aspectu, aridissima & propter aquarum penuriam effœta, & arborum non modo fructiferarum, sed & sylvestrium plane impatiens, tellure nuda neque herbida, præterquam tribus quatuorve locis, ubi non nihil graminis nascitur, & paucæ oves illarum regionum (*Guanacos* dici supra meminimus) vagantur: hibernis vero mensibus tam aspero cœlo, tamque nivibus & pruinis est horrida, ut sine summo discrimine & præsentis nonnunquam exitio iter hac agi non possit.

Pene mediam interluit torrens sive amniculus quem Hispani vulgo vocant *Rio de la Sal*, viginti tribus gradibus & quadraginta & quinque scrupulis ab Æquatore versus Austrum, qui è montibus, qui ad orientem hanc solitudinem claudunt, descendens, per sicutulosam hanc terram atque adeo profundissimam convallem versus occasum devolvitur, & egreditur tandem in Oceanum Meridionalem, viginti duabus leucis à *Xaguyes* (ita dicuntur putei quidam, è quibus hac iter habentes aquam hauriunt, nulla alia toto illi viginti duarum leucarum intervallo obviâ.) Dicitur autem *de la Sal*, quia aquæ illius ita amaræ sunt & salæ, ut in vasis atque adeo in manibus haurientium statim convertantur in salem, ripæque illius perpetuò multo sale candident.

Secundum iter quod à Peruvia ad Chilen ducit per montana, multo prolixius est atque impeditius, longeque periculosissimum; nam Andium summum jugum cum summo discrimine superandum, quod perenni nive tectum est atque ita frigidum, ut ab ullo mortalium sine præsentis exitio, præterquam paucissimis anni mensibus, ne tentari quidem possit. Perflat hic enim (ut *Acosta* testatur) tenuis quædam & debilis aura, quæ corpora humana in eum modum pervadit & penetrat; ut homines hac afflati ex improvise concidant, statimque emoriantur antequam mori se sentiant; omni vitali calore, uti verisimile est, subito ab hac aura extincto: quemadmodum prima illa *Didaci Almagri* in *Chilenses* provincias expeditione accidisse

diffe accepimus, & plurimos mortales ab hac aura enectos, quorum cadavera post plurimos annos integra fuisse reperta, & nullam graviorem odorem fudisse ab Hispanis observatur: plura & mirabilia hujusce rei exempla producantur ab *Acosta*, quæ nos brevitatis causa hic præteribimus.

Her. d. 5.
l. 10. c. 1.

Itineris autem à *Didaco Almagro* instituti ratio ita se habuit: Anno à Christo nato 1536 è *Charcarum* provincia cum copiis suis profectus, primo venit *Topisam*, is pagus est in provincia *Chicarum*; à quo transit ad provinciam barbarorum qui *Xuxuyes* appellantur (de qua alibi quoque agemus,) gentis bellicosæ & humanis carnibus vesci fuerat: ab hac pervasit in provinciam *Chaquanam*; atque inde porro per vastas & desertas regiones, (solo omni asperrimo, nitroso & penitus infœcundo) difficillimo & molestissimo itinere pervenit ad radices montium, quorum summa juga multa nive candicabant: & jam exantlatis incommodis nihil fractus, aut majoribus quæ haud dubio imminebant deterritus, inexplicabili pene difficultate progreditur per editos & præcipites colles; ubi magnam hominum atque jumentorum jacturam est passus, quæ ab intenso frigore & lethali illa, quam diximus, aura constricta repente corruerant: nihilo tamen secius ad summum Andium verticem evasit; atque ab illo descendit in vallem *Copiapo*, ubi *Chilenses* provinciæ ordiuntur, duodecimo circiter leucarum descensu. Rediens denique in Peruviam, per solitudinem *Atacama* pervasit, non sine jactura hominum atque jumentorum. Per hanc enim *Inca Yupanqui* jam olim in *Chilenses* provincias fuerat ingressus & penetraverat usque ad fluvium *Maule*, de quo suo loco dicetur. Hispani autem hodie ob utriusque hujus itineris difficultates & pericula, mari fere utuntur; rarissime tantum secundum oram maritimam, per *Atacama* solitudinem, terrestri itinere proficiscuntur, periculosissimo illo per montana penitus abdicato; præterquam ea parte, quam postea designabo.

Observatum porro ab Hispanis, à viginti tribus gradibus aut circiter ab *Æquatore* versus Austrum, ad Fretum pene Magallanicum usque, communiter ventos perflare à tribus tantum mundi plagis: Africum nimirum vernis & æstivis mensibus, & paucis aliis diebus quibus sudum est cœlum; à Septentrionali autem plaga hybernis mensibus & pluvia tempestate; Favonium denique, qui hanc oram, legentibus maxime infestus est & adversus, quique interdum validos cogit nimbos, quum septentrionales venti remittunt.

Chilensis provincia suum habet Præfectum, qui Peruviæ Pro Regi paret, ab eoque designatur; oppidani autem atque coloni aliquando jus petierunt à Conventu Juridico *Limæ*, quum nullus dum Conventus Juridicus hic esset institutus; nunc proprium Tribunal habent in oppido *S. Jacobi*: duos præterea habent Episcopatus, undecim oppida seu municipia ab Hispanis habitata, de quibus porro suo ordine dicemus, prout jacent ad mare Australe.

C A P. IV.

Primarum vallium Chilensis præfectura, Copiapo, Guasco & Chili descriptio.

EX TREMOS *Atacama* solitudinis limites (quam supra absolvimus) excipit vallis *Copiapo*, quæ *Chilensis* regni (ut vulgo vocant) provincias inchoat. Id nomen ajunt barbarorum lingua sonare Agrum cyaneorum lapidum (quos vulgo vocamus *Turcinos*) harum enim gemmarum maxima copia eruitur è monte quodam qui valli huic imminet, quæ præstantissimæ quidem sunt, sed ob nimiam copiam hodie viliores; neque æstimantur ut olim. Hæc vallis omnium quæ in *Chilensi* præfectura censentur, longe fœcundissima prædicatur, quippe quæ *Mayzii* altissimos culmos ferat instar lancearum, aristas autem dimidiam ulnam longas; ita ut messis ingenti fœnore trecenties sementem dicatur superare, ut scribunt Hispani. Quod tamen non incredibile neque mirum iis qui farris hujus ubertatem noverunt. Neque minus aliarum frugum fertilis est vallis, tam domesticarum, quam exoticarum quas Hispani intulerunt. Secat illam amniculus, qui è summis montium nivallium jugis devolutus, per viginti leucarum spatia hanc vallem rigat, & denique in patentem sinum ad mare Meridionale descendit, ibidem per commodum & latum portum

portum navigantibus aperiens: distat autem ab Æquatore sex & viginti gradus versus Austrum, ut memoriæ prodidit *Herrera*.

Lupus Vazius testatur, in hac valle modicum jacere portum & juxta illum indigenarum pagum, qui Hispanis sunt vectigales; ibidemque esse machinam qua Saccharum conficitur.

A portu vallis *Copiapo*, ad vallis *Guasco* itidem portum, numerantur leucæ quinque supra triginta. Portus hic sive statio distat ab Æquatore gradus novem & viginti versus Austrum, ut testatur *Herrera*: contineturque gremio patentis ad Mare Meridionale sinus, per quem amniculus in Oceanum Australem sese exonerat, è montibus nivalibus, qui vallem hanc ab Oriente tegunt, exiens & agros hujus vallis ad eum modum permeans atque irrigans, ut fecunditate, & frugum bonitate ad Copiapensem vallem (de qua supra) quamproximè accedat. In hac valle, uti fere in reliquis, reperiuntur innumeræ perdices; & quod præcipuum, hic alitur magna ovium illarum (de quibus diximus) copia: præterea ingens copia sciurorum, coloris è fusco cinericei, quorum pelles magno sunt usui. Guasco. cap. 2.

Valdivia quum primum ad *Chilenses* provincias subjugandas cum exercitu advenisset, in hac *Guascensi* valle coloniam Hispanorum deposuerat, condito oppido *S. Iago de la Nueva Estremadura*, ut ipse vocabat, & idoneo castello adversus barbarorum impetum communito, in agro quem Indigenæ appellabant *Mapocho*, circiter quatuordecim leucis ab Oceano Australi, & modico sed opportuno ad eundem portu: verum hoc oppidum haud diu perenavit, sed alio fuit translatum, ut proximo capite dicitur.

Oliverius noster observat in commentariis suis, *Guasco* portum situm esse viginti octo gradibus & triginta scrupulis ab Æquatore versus Austrum, ejusque stationem esse percommodam & à ventorum injuria tutam, pone certos scopulos, qui faucibus sinus objacent: in hunc sinum descendit pulcherrimus amniculus, qui & vulgo vallis nomine appellatur, sed aquatio hic perdifficilis est: vestiunt hanc oram raræ arbores; domiciliaque indigenarum longius distant ab ora Oceani Australis.

Guascensem vallem excipit *Vallis Chile*, omnium vicinarum facile princeps, unde & nomen toti huic oræ & provinciæ dedisse verisimile fit: in hac valle olim fuerunt celeberrimæ aurifodinæ, quas vocant *de Quillota*, è quibus *Valdivia* opulentam aurigazam quondam hausit; quare & Castellum hic communiverat, ut fossores ab hostium injuria tutaretur. Chile.

C A P. V.

La Serena & Sant Jago oppida descripta.

P R I M U M oppidum *Chilensis* Præfecturæ, quodque omnium proximè abest à Peruvia, appellatur ab Hispanis *Serena*. Conditum fuit à Præfecto *Valdivia* anno Serena.
 40 **C** L O X L I V, in valle *Coquimbo* (unde non raro *Coquimbo*, vallis nomine, appellatur scriptoribus Hispanis & Nostratibus:) haud ita longe ab ora Oceani Meridionalis; & triginta gradibus ab Æquatore versus Austrum secundum *Herreram*; à quo & observatum invenio, Solstitium quidem æstivum hic incidere in XI Decembris (& longissimum diem esse horarum quatuordecim) hyemale vero in undecimum Junii. Distat ab oppido *S. Iago* leucas sexaginta versus Arctoam plagam. Portum obtinet amplum & peropportunum, ad patentem & latum sinum, qui distat ab oppido circiter duas leucas; hic omnia onera exponuntur è navibus. Agrum oppidi permeat mediocris amnis, quo pleraque arva & fata rigantur, ita ut omnes fruges, plantæque hinc lætissime proveniant: maxima itaque hic annonæ copia & vilitas frumenti, vini, carniū, pisciumque atque adeo omnium rerum quæ vitæ usus postulat, summa abundantia. Rarissime quidem hic pluit, vix ter quaterve quotannis, nihilo tamen fecius sunt hic pulcherrima arva, quæ fata felicissime reddunt. Coquimbo.

In Agro hujus oppidi, multa sunt auri metalla; imprimis septem ab oppido leucis jacet editus mons, è quo Hispani jam dudum multum auri eruerunt. Adhæc quemadmodum à quodam Belga accepi, qui viderat, haud longe ab oppido, mons optimi

æris venis scatens. *Lupus Vazius* scribit oppidum *Serenam* supra ducenta domicilia continere: & certe satis frequens esse oportet, quum in Historia memorabilis illius expeditionis navalis *Francisci Draci*, qua orbem universum circumnavigavit, narretur, quum Anglorum naves portum *Coquimbo* essent ingressæ, ibidemque in anchoris consisterent aquandi gratia, trecentos equites & ducentos pedites ex oppido sese effudisse, Anglosque ad naves suas se recipere coëgisse. Regio hæc omnis quondam indigenis fuit frequens, sed jam longe maxima pars (si non omnes, ut nonnulli tradunt) ab Hispanis aut laboribus in metallis fracta, aut summa sævitia excisa est atque deleta, ita ut jam oppidani auri venis scrutandis & elaborandis præ operarum inopia, sint impares & plurima auri atque æris metalla intacta sinere compellantur. 10

S. Jago.

Principale porro hujus Chilensis Præfecturæ oppidum vulgo appellatur *S. Iago*: quod situm est triginta quatuor gradibus ab Æquatore versus Austrum; & septuaginta & septem à Meridiano Toletano versus solis Occasum: quindecim leucis à Mari Meridionali. Præfectus totius Provinciæ hic sibi aliquando domicilium elegit; nunc ut plurimum ob bella cum Chilenibus Araucanis commoratur in oppido *Concepcionis*: Sed hic jam ab aliquot annis Conventus Juridicus suum habet tribunal: Denique cernitur hic Cathedralis Ecclesia & aliquot cœnobium Dominicanorum & Franciscanorum; & si *Lupum Vazium* audiamus, octingenta domicilia privatorum.

Ager suburbanus fertilis, & tritici, vini & aliarum frugum abundans: auri venis admodum locuples & indigenis hodieque frequentissimus, quum in illius Diocesi fere octuaginta millia barbarorum numerentur, qui in sex & viginti tribus partiti, Hispanis tributum pendunt & gratuitam serviunt servitutem. Plurimi hîc reperiuntur equi, ita ut multi in campis & sylvis sine certis dominis vagentur, atque ita efferentur, ut non facile domari possint. 20

Daule fl.

Flumen *Daule* per montium declivia eluctari & hac transire, atque demum Mari Australi se miscere testatur *Didacus Fernandez* in Peruvix Historia: alii flumen quod oppidum secat aut præterlabitur vocant *Topocalma*: quod & postea descendit in oppidi hujus portum, universæ hujus oræ famosissimum & optimum, appellant vulgo *Valparayso*, distat ab Æquatore tres & triginta gradus & quadraginta 30

Valparayso.

scrupula versus Austrum, uti ab Anglis diligentissime & accurate est observatum. In hoc portu exponuntur omnes merces quæ mari veniunt ab urbe Lima & reliquis Peruvix portibus; & vicissim omnis auri gaza quæ in vicinis provinciis colligitur huc conducta, imponitur in naves.

Fortissimus eques *Franciscus Dracus*, hunc portum inopinantibus Hispanis inventus, navem hic interceptit, in qua invenit viginti & quinque milli à pezoribus, ut vocant, auri Valdiviensis absolutissimi, & magnam Chilensis vini copiam: & exscensione facta, ibidem invenit novem aut decem ædes cum exigua capella, quas illius milites diripuerunt & incenderunt.

Belgicæ quoque Classis præfectus *Georgius Spilbergius* hic appellens, navem in anchoris stantem offendit, quam Hispani quantocius, ne nostris usui esset, flammis injectis corruperunt: multi præterea equites peditesque ad portum accurrerant, & turguria aliquot incenderant, ita ut nihil memorabile hic à nostris perpetrari posset.

Denique quatuordecim ab oppido leucis flumen decurrit, quod indigenæ vocant *Chacapol*. Valli autem in qua urbs *S. Iago* communita est, vicina est provincia populorum, quos gentilitio nomine appellant *Parmacanes*, sive ut *Garcilassus* effert *Purumancas*; per quam transitur ad flumen *Maule*, & ad pagos *Gueler* atque *Tatam*; atque ita porro ad *Quilacuram*.

C A P. VI.

50

Oppidum Concepcionis & Insula S. Mariæ descripta.

OPPIDUM tertium hujus Præfecturæ quod dicitur *Concepcion*, situm est ad oram Oceani Meridionalis, ad patentem sinum & juxta per commodum portum: Ager illius finès habet ad Arctum quidem fluvium *Maulen*, ad Austrum autem fluvium *Biobio*; (nam *Herreram* falli haud dubium est, qui ipsi fluvium *Itaten* sive *Itatayan*

Itatayan pro limite Australi tribuit, quum fluvium hunc aliquot leucis ab oppido versus Arctum in Oceanum exire certissimum sit, nisi forte olim oppidum alio loco situm fuerit.) Abest ab Æquatore sex & triginta gradibus & quadraginta scrupulis versus Austrum: ora maritima vergit hic ad viginti & trium leucarum spacium versus Libonotum.

A fluvio *Ytaten* ad portum quem Hispani vocant *de la Herradura*, (quia soleam equinam forma repræsentat) numerantur tres leucæ: portus hic peridoneus est & adversus incerta ventorum egregiè munitus; distat ab Æquatore versus Austrum triginta & sex gradus & triginta scrupula: ab hoc ad sinum *Penco*, juxta quem oppidum *Concepcion* conditum est, sunt quatuor leucæ. Exeunt in hunc sinum duo per-
 10 tenues amnes vel potius rivuli, quorum minimus dividit oppidum, alter vero labitur paululum ab oppido versus Austrum, vocaturque vulgo *Rio de Landalien*, à vicina valle quæ *Andalien* audit.

Littori autem, quod hic angustius est, imminent colles & montes modicè editi, qui portum undique muniunt, præterquam contra Aquilonem & Arctoam plagam, versus quam sinus hic tempestatibus est expositus.

Licet autem hi colles, atque adeo suburbanus ager per se neque fœcundus neque amœnus sit adspectu, tamen hominum industria & cultura jam amœnissimus est factus; plurimi enim horti cum suis viridariis ab Hispanis hic exculci visuntur,
 20 & pulchri aspectu & omnibus omnium generum fructibus abundantes. Mare oppido vicinum supra modum est piscosum; juxta littus quoque visitur lapicidina; è qua lapides quidam nigri & bituminosi cæduntur, qui oppidanis carbonum usum præstant. Quia autem portus hic Septentrionalibus ventis est expositus, & illis perflantibus intutor, periti navarchæ naves suas pone insulam quandam exiguam, quæ sinui prætenditur, in anchoris solent constituere, ut ab aquilonibus defendantur.

Ab oppido ad flumen *Biobio* duæ sunt leucæ; flumen hoc valde latum est & altum, ita ut vado transiri nequeat, nec tamen navium est patiens: ab hoc ad flumen *Labapi* quindecim numerantur leucæ; intermedio vero spacio, admittit Con-
 30 tinens amplissimum sinum, ad quem provincia *Araucana* sita est.

Porro oppidum *Concepcion* abest ab oppido *Sancti Iacobi* leucas, ut volunt, septuaginta versus Austrum. Præfectus universæ provinciæ hodiè hic residet, postquam Conventus Juridicus, qui tribunal hic habuit ab anno cIo Io LXXVII ad annum cIo Io LXXIV, ad oppidum *S. Iacobi* fuit translatus. In oppido sunt aliquot monasteria Dominicanorum & Franciscanorum.

In Dicecesi hujus oppidi & illius finibus sunt plurima auri metalla, è quibus magna vis auri olim fuit eruta, ita ut oppidum hoc longe florentissimum & opulentissimum fuerit; verum hodie ut *Lupus Vazius* testatur, penè ad inopiam est redactum, quippe ad minimum quater à Chilensibus direptum & concrematum, adeo ut hodie vix ducentas ædes numeret; & quia *Araucanos* infensissimos
 40 Hispanorum hostes tam vicinos habet, cinctum est hodie latericio muro, habetque arcem adjunctam, in qua ut plurimum quingenti præfidiarii dicuntur agere.

Fodinæ *Quilacoya* sive *Quilacura*, è quibus Valdivia dum hic præfectum ageret, magnam auri vim eruit, absunt ab oppido quatuor leucas.

Oliverius à Noord narrat anno cIo Io c septingentos Hispanos à Pro-Rege Peruvix ad hoc oppidum missos, ob novos Chilensium motus, & Auracanorum imprimis, qui oppido imminabant, & quotidie laceßebant præfidiarios. *Georgius* itidem *Spilbergius* Belgicæ Classis Archithalassus, applicuit hic anno cIo Io cxv, jecitque anchoras pone insulam quæ sinui objacet (quam *Quiriquinam* scribit appellari) ven-
 50 to vero adversante non potuit propius ad oppidum accedere, tantum è captivis didicit, circiter ducentos præfidiarios in oppido agere & magnum numerum vectigalium barbarorum.

Ab extremo sinus, de quo jam diximus, ostio, ad Insulam *S. Mariæ* leucæ numerantur tredecim: vel ut *Petrus de Cieça* scribit quindécim; qui hanc insulam à barbaris dicit appellari *Lucengo*: Sita autem est ab Æquatore septem & triginta gradibus & viginti aut paulo paucioribus scrupulis versus Austrum: ex adverso

Provinciae *Araucanae*, (ubi Continentem magnum & amplum Sinum admittere jam diximus) præruptis & à fluctibus Oceani exesis rupibus incincta, ita ut olim hæc insula Continenti connexa fuisse quibusdam videatur & sensim ab interluente freto, quod jam circiter tres leucas latum est, ab illa divisa; quod tamen mihi non fit verisimile. Solum hujus insulæ uberrimum est, tritici & hordei ferax: mare vicinum pluribus piscibus fœtum, præsertim uno è sepiarum genere, è cujus oculis callosa quædam substantia eximitur, quæ candore & nitore ad uniones quam proxime accedit, sed non habet illarum duritiem: fœminæ tamen pro unionibus solent usurpare in monilibus: Hic & testacei quidam pisces reperiuntur, quos *Choros* appellant, in quorum testis, unionum quoddam genus reperitur, magnitudine seminis Cannabini & singulari candore, verum quia artem perforandi ignorant barbari, nullius pretii habentur.

Thomas Candischius cum navibus suis hic appellens, ad occidentalem insulæ plagam constitit, loco figendis anchoris peridoneo; & exscensione facta, magnam invenit tritici copiam. Incolæ autem barbari Hispanis adeo sunt obnoxii, ut ne gallinam quidem, ne dicam porcum, mactare aut manducare ausing, licet utrisque vel maxime abundant: jam Christiana sacra amplectuntur, habentque sacellum & in eo altare cum suis ornamentis ad Romanum morem. Mayzium quoque hic abunde crescit, uti & varii fructus: ita ut omnis generis comæatus hinc peti possit, ab iis qui viribus potiores sunt. *Georgius* sane *Spilbergius*, cujus jam aliquoties meminimus, anno cIo Io cxv Insulæ compos factus, supra quingentas oves, magnum gallinarum numerum, & cæteræ annonæ copiam hinc abduxit.

C A P. VII.

Provinciae Arauco, Tucapel & Puren descriptæ, & clades ab Hispanis in hac parte Chiles acceptæ.

INTER oppidum *Conception*, de quo jam egimus, & oppidum *Imperial* de quo mox sumus dicturi, mediæ sunt populosissimæ provinciæ *Arauco, Tucapel & Puren*; quarum indigenæ bellicosissimi sunt & Hispanis supra modum infesti, utpote quibus magnas clades sæpe intulerint, & hodieque cum ipsis pro libertate magnis animis certent: Quæ autem superioribus annis hic gesta fuerunt, operæ precium fuerit commemorare.

Valdivia primus harum Provinciarum domitor, postquam oppida *Imperial* atque *Valdiviam* condidisset, anno cIo Io LI ad oppidum *Conception* reversus, consultum existimabat, tria insuper munimenta sive castella, octo leucarum intervallo, excitare: Unum quidem in Provincia *Tucapel*, alterum in *Purene*, tertium denique in *Arauco*; ut his veluti compedibus, ferocissimas nationes & nunquam ante à Peruvix monarchis domitas, coërceret & vel invitissimos in officio contineret, aut ad obsequium cogeret: Et quum haud longe post ditissimas auri venas in planicie quam barbari vocant *Ongol*, observasset, huc quoque coloniam in municipium *de los Confines*, ut vocant, deduxit; ut inter duo jam dicta oppida veluti medium esset, quod tamen statim fuit desertum & alio translatum. Indigenæ interea advenarum pertœsi & servitutis impatientes, omni ope sibi annitendum putabant, ut peregrinorum jugum à suis & vicinorum suorum cervicibus depellerent; crebrisque clandestinis coitionibus inter se confœderati, Hispanos inopinantes aggrediuntur, & primo Castellum in provincia *Purene* oppugnant magno conatu; Hispani enim tantæ barbarorum multitudini impares jam sponte sua deseruerant alterum in *Tucapele*, seque conjunxerant cum præfidiariis *Purenis*: atque hîc Hispani, accitis insuper è castro *Araucano* auxiliis, ultro hostibus obviam iverunt, atque ab ipsis cœsi, fugatique, unicum receptum habuerunt ad castellum *Araucanum*. Præfectus, eorum quæ gesta fuerant certior factus, quantocius ad castellum advolat, & suis nequicquam dissuadentibus, magnis itineribus, cum quinquaginta & tribus tantum militibus, contendit ad hostes, qui circum *Tucapelis* castellum hærebant: Quumque *Cotonem* pervenisset, notissimum illa regione campum, unum suorum tribunorum cum tantum decem militibus præmittit, qui hostium castra & molitiones è propinquo specularetur, qui cum suis in insidias præcipitans, ab hostibus cæditur: Præfectus hac

hac suorum clade nihil dum territus processit, verum à barbaris profligatus, cum quatuordecim suorum qui è clade supererant, arripuit fugam, & ad ripam fluvii *Ledi* se subduxit; ubi & ipse cum suis cæsus fuit, nullo è tanta clade superstite præter unum *Chilensem* adolescentem jam Christianum, qui præsidiariis, qui in castello *Araucano* substitierant, cladem hanc nunciavit. Memorabile est quod *Lupus Vazius* aliique narrant, *Valdiviam* quum vivus in hostium potestatem pervenisset, ab iisdem auro liquefacto in os illius effuso, enecatam, barbaris insultantibus, ut tandem aliquando auri satur fieret, quod tantopere sitiverat. Quod tamen ab aliis non proditur. Hispani præsidiarii qui in *Araucano* castello relictæ fuerant, quum nullum aliud imminentis

10 discriminis remedium invenirent, loco deserto ad oppidum *Conceptionis* se receperunt: Purenenses autem præsidiarii ad oppidum *Imperial*.

Postilla *Franciscus de la Villagra* Valdiviæ Legatus, ducis sui & tot commilitonum cædem ulcisci satagens, cum centum & sexaginta militibus movit ex oppido *Conceptionis*; verum quum superato flumine *Biobio*, jam in conspectum castelli *Araucani* venisset, juxta terræ cornu, quod à Maris Australis fluctibus pulsatur, & ab Hispanis vulgo appellatur *la Raquette*, magnam hostium multitudinem obviam habuit, qui tam ferociter illum sunt aggressi, ut nonaginta & sex suorum in conflictu desideratis, cum reliquis magnam partem faucis, ad *Conceptionem* præpropera fuga se recipere cogeretur. Hispani tot cladibus tam brevi tempore acceptis animo lin-

20 qui cæperunt, & quum adhuc pejora ab imminentibus barbaris metuerent, oppido *Conceptionis* deserto, ad urbem *S. Iacobi* se receperunt: alia præterea oppida tunc ab Hispanis deserta, *Villa Rica*, *Los Confines*, quum se vix oppidis *S. Iacobi* & *Imperiali* tutandis pares esse cognoscerent.

Barbari autem hi longe aliter quam cæteri belligerare noverunt, nam & ordines servare & arma scite tractare callent: arma ipsis sunt arcus & sagittæ, prælongæ hastæ, bipennes; quin & galeas & scura, thoracesque ex phocarum tergoribus elegantè parant: hastas suas quondam ære, nunc etiam ferro, cujus copiam ab Hispanis nacti sunt, asperant: etiam armis, quæ Hispanis in præliis ademerunt, dextere uti didicerunt. Cæterum in præliis & acies ordinant Europæorum pene ad modum, &

30 ordines atque militarem disciplinam observant; etiam vallum ducere & castra per intervalla communire didicerunt: adhæc ex insidiis hostem aggredi & ex improvise oppida illorum, villas & prædia aggredi, capere & concremare: In præliis fortes atque impavidi, magnas sæpe strages Hispanis dederunt, nonnunquam & sunt passi: quæ omnia ab Hispanis scriptoribus commemorata & fere in majus aucta, hic commemorare longum & forte præter institutum nostrum foret. Hoc saltem obiter hic dicemus, horum barbarorum armis & virtute factum esse, ut Hispani hodieque longe minimam harum regionum partem possideant, & plurima oppida deserere, & variis provinciis excedere fuerint coacti & se vix ab eorum armis tueantur. Nam licet post Valdiviæ miserandum casum & tot clades ab

40 Araucanis & ipsorum confœderatis acceptas, Hispani nonnihil respiraverint, *Garsia de Mendoza*, Pro-Regis Peruvæ filio, hic præfectum agente (qui bonam partem barbarorum ad obsequium redire compulerat) tamen barbari majori conatu bellum redintegrarunt, & tam fortiter atque pertinaciter gesserunt, ut hodie pauca oppida Hispanis reliquerint, eaque ita intuta, ut quotidie hostes ad ipsa mœnia expectare, & sollicite noctu atque interdium excubias agere cogantur.

Cæterum provincia hæc *Araucana*, cum *Tucapele* & *Purene*, quæ fere simul accipiuntur, & ab Hispanis vulgo appellatur *El Estado de Arauco*, quemadmodum *Alfonsus de Erzilla* in famoso suo poemate prodidit, angustis admodum limitibus continetur, siquidem in longitudinem tantum patet circiter viginti leucas, in latitudinem vix septem. Auri metallis locuples esse creditur, sed ad quæ Hispanis hætenus accessus minime patuit, ideoque etiam hodie intacta. Maxima sui parte assurgit in montes aut editos colles; qua mare meridionale attingit, præruptis potius ripis, quam littoribus; fluctus admittit magno & amplo sinu, in quo statio haud infida navibus existimatur, sed descensus in terram difficilior. Denique Provincia hæc inde à trigésimo & septimo gradu Australis latitudinis, ad breve tantum spatium exporrigitur versus Austrum.

In vicinis porro montibus, qui *Araucanam* ab ortu tegunt, agunt barbari qui vulgo *Pulches* appellantur, gens velox & pugnandi avida, nec minus ferox, veruntamen nequaquam eo ingenio atque industria, qua *Araucanos* esse diximus, à quibus omnibus modis superantur, cæterum animis in Hispanos haud minus iniquis atque infestis; quo fit ut se cum reliquis ipsorum hostibus lubenter jungant.

C A P. VIII.

Mocha Insula descripta, indigenarum ingenia & mores, & variorum ad eam navigationes.

AD provinciam *Araucanam* quam jam descripsimus, pertinet Insula, quam vulgo appellant *Mocham*; incoliturque ab ejusdem gentis populis, qui è Continente se huc receperunt & jugum Hispanorum hætenus effugerunt. Distat hæc insula ab Æquatore octo & triginta gradibus & aliquot scrupulis, prout à diversis tam Hispanis, quam Anglis & Belgis varie est observatum, qui omnes in scrupulorum numero nonnihil discrepant, prout variis locis altitudinem sunt dimensi; de gradibus conveniunt: A Continente quidem leucas quinque, à flumine autem *Lebo*, quod fere ex adverso è Continente exit in Mare Australe, sex leucas versus Zephyro-notum, ab Insula denique *S. Mariæ* (de qua supra egimus) octodecim versus Africum aut Libonotum. Fretum quod interluit ut plurimum duodecim orgyas est altum, non raro & pauciores, estque nonnullis partibus certis brevibus atque vadis inquinatum.

Insula hæc satis ampla est; in medio pene ipsius, attollit se mons in summam altitudinem, juxta verticem veluti divisus aut bifurcatus; à quo amniculus delabitur limpidissimus & potari pulcherrimus: à radice autem montis ad oram usque ambientis maris, reliqua tellus declivior est & in planiciem strata; solum fœcundum & non modo omnimodarum frugum patiens, sed & pascuis lætum. Sub Insula haud incommoda statio est, & facilis anchorarum jactus, in mari septem aut octo orgyas alto; sed in anchoris stantibus, aquilones maxime metuendi sunt, qui tamen rarissimè hic perflant.

Franciscus Dracus, quum hic cum navibus suis consisteret, indigenis primum satis propitiis est usus, & aliquantulum commeatuum ab ipsis permutatione mercium accepit, verum quum postridie duos suorum ad terram ablegasset, Insulares (uti verisimile fit) aut Hispanos aut eorundem vel amicos vel fœderatos suspicati, eos trucidarunt & Anglos post illa in terram descendere prohibuerunt. *Thomas Candischius* Anglus ad eandem postea appellens, pene ad eundem modum ab Indigenis fuit acceptus, in terram descendere veritus.

Belgarum nostrorum longe melior fortuna fuit; nam primum *Oliverius* à Noord, quum hic applicuisset, per amice cum insularibus exercuit commercia & pro securibus, cultellisque, oves accepit atque omnis generis annonam: pro securi quidem ovem, pro cultello gallinam aut interdum binas; cætera Mayzium, batatas, cucurbitas & alios fructus, quos insula fert, ad eundem modum. Barbari juxta stationem incolebant pagum, qui circiter quinquaginta domiciliis constabat; quæ è stramentis affabre erant contexta, oblonga & in medio vestibulo quodam ornata. Licet autem nostrates perbenigne acciperent, tamen ædes suas ingredi minimè permittebant, aut cum fœminis sermones ferere; sed fœminas omnes boatu quodam ex ædibus in vicinam aream excitas, in genua procumbere per varios ordines jubebant in nostrorum conspectu. Consuetudo ipsis tot conjuges sibi assumere, quod lubet; & quo quis plures filias habet, eo opulentior judicatur, nam proci sponsas suas à parentibus mercari solent, & bovem aut oves aut aliud quid de quo ante inter ipsos convenerit, pro filiabus redhibere. Amiciunt se longis tunicis, ab humeris ad talos usque demissis, tam mares quam fœminæ; quas consuunt è panno, contexto è lana illarum ovium, de quibus jam ante diximus. Mares quidem promittunt comam usq; ad humeros; fœminæ vero eandem succingunt, & pone cervicem componunt nodis quibusdam.

Georgius Spilbergius Belga, ad eundem modum insulæ incolas, propitios fuit exper-

expertus, atque ab iis omnis generis accepit com meatum: Qui navigationem illius descripsit, testatur Insulam hanc, qua Arctum adspicit, humili esse solo atque campestri, qua vero Austrum spectat, pluribus scopulis & petris incinctam esse, & à fluctibus marinis valide pulsari. Qui exactè Insulæ amplitudinem explicaret aut ambitum illius leucis definirer, nondum vidi.

C A P. IX.

Insularum Joannis Fernandez descriptio.

10 **Q**UONIAM jam in Insulas incidimus, peropportunum fuerit: antequam ad Continentem revertamur, earum meminisse, quæ à primo inventore *Joanne Fernandez* nomen acceperunt: Eæ omnino sunt duæ, triginta & tribus gradibus & octo supra quadraginta scrupulis ab Æquatore versus Austrum sitæ, ut à *Jacobo Lemairio* Belga fuit observatum, ambæ valde edito solo; occidentalior autem minima est, infœcunda & vix quicquam herbidi sortita, meræ petræ atque aridi colles: orientalior vero major est & ipsa quoque montibus edita, verum pluribus arboribus vestita & grata amœnitate virens, neque infœcunda esse creditur: magna hic reperitur caprarum & porcorum copia: mare in ambitu ita omnis generis piscibus fœtum, ut Hispani hanc non raro piscandi causâ accedant, & brevi tem-
20 pore magnum piscium numerum capiant, & ad Continentem atque Peruviam venales traducant.

Commodissima statio habetur pone orientale illius cornu, itaque ut hic anchoræ jaciantur, orientalis ora radenda est; nam si quis occidentalem legerit, ob malaciam facile abripitur ab æstu marino, & præter insulam vectatur, ita ut illam assequi nequaquam possit. Sub ora quidem quæ Occidentem adspicit, haud longe à litore, mare quadraginta, mox triginta & sensim ascendendo, tantum tres orgyas est altum, tutoque hic consistitur loco anchoris tenendis peridoneo; ex adverso viridis & peramœnæ vallis, quæ virentium arborum nemore vestita est, gratiosissimo prospectu. Anno porro MDLXXIV Nostrates cum *Nassovica*, ut vulgo vocabant,
30 classe has Insulas adnavigarunt, à quibus sequentia accepimus. Insulæ *Joannis Fernandez* duæ sunt, quarum orientalior distat ab Æquatore versus Austrum tribus & triginta gradibus & quadraginta scrupulis, à Continente autem Americæ Meridionalis milliaria germanica circiter septuaginta: altera vero insula, secundum Hispanos, viginti circiter leucas ab hac versus Corum: hanc *Isola de Fuera*, illam vero *Isola de Tierra* solent appellare, causa manifesta est, quod nimirum orientalior propius à Continenti absit: quare insigniter erratur ab iis, qui scopulum potius quam insulam, qui orientaliori insulæ adjacet, pro secunda *Joannis Fernandez* insula accipiunt, quum viginti leucarum intervallo hæ duæ insulæ discretæ sint, & occidentalior haud minus ejusmodi scopulos adfatos habeat.

40 Orientalior (inquit author qui navigationem illam in commentarios retulit) sub qua nos anchoras fiximus, complectitur suo ambitu circiter sex milliaria, in longitudinem inter ortum & occasum duo aut tria milliaria patens: Stationem habet ad borealem plagam, ubi valles quædam visuntur gramine & trifolio, grata amœnitate virentes: Sinus autem fundo est admodum declivi, & partim scopulis & vadorum brevibus inquinato, partim nigris arenis conspicuo; permolestum vero est propius ad terram accedere & locum figendis anchoris idoneum capere. Abundat hæc Insula dulcium & potabilium aquarum scaturiginibus: vicinum mare optimis piscibus fœtum, qui nullo pene negotio hic maxima copia capiuntur. Phocarum quoque & leonum, ut vocant, marinorum infinitus est numerus. In nemoribus in-
50 gens caprarum multitudo, sed harum caro neququam tam grati est saporis quam quas insula *S. Vincentii*, *Hesperidum* una, nutrit: difficillimeque hic capiuntur ob arbustorum densitatem, quæ itinera omnia impediunt & pene invia faciunt. Alterius generis animalia hic nulla à nobis visa. In Montanis multæ nascuntur Palmæ, prope littus autem hujus stationis tres mali cydoniæ visuntur. Reperitur hic præterea ingens copia Sandalii ligni, sed quod ab illo, quod *Timor* insula gignit, plurimum superatur: aliæque materies & duritie & tenacitate insigni & ad quævis fabrilis

opera peridoneæ: verum proceriores arbores, quarum trunci navigiorum malis inservire possint, nullas hic vidimus. Hic quondam decem aut duodecim barbaros habitasse satis constat, qui oleo è phocarum & ejusmodi belluarum pinguedine excoquendo operam dabant, nunc penitus deserta est insula; nisi quod sex nostrorum, qua milites, qua nautæ, longæ navigationis pertæsi aut aliam ob causam nobis ignotam, hic sponte se è navibus surripuerunt & invito præfecto substiterunt. Hæc ille.

Bartholomæus Leonardi de Argensola, libro tertio de Moluccis Insulis, facit mentionem duarum insularum, à *Ioanne Fernandez*, quum anno 1510 Chilens peteret, casu inventarum, quæ hodie *San Felix* & *Sant Ambor* appellantur; sed hæ non possunt esse illæ, de quibus hic agimus, siquidem scribit has ab Æquatore versus Au-
strum distare tantum viginti quinque gradus & viginti scrupula; nisi forte hic illum ratio fugerit. Ultramque autem scribit ab Hispanis vocari *Desuenturadas*, id est, infortunatas.

C A P. X.

*Oppidorum de los Confines vel etiam de los Infantes, &
Imperialis descriptio.*

O P P I D U M, quod *Villagranius* post *Valdiviam* harum provinciarum præfectus, quum primum conderetur, *de los Confines* appellaverat, & *Garsias de Mendoza* postea *Villam Novam de los Infantes* nominavit; in mediterraneis situm est; triginta & septem gradibus & triginta scrupulis ab Æquatore versus Austrum, secundum *Herreram*: Octodecim quidem leucis ab Oceano Meridionali; viginti autem ab oppido Conceptionis versus Euro-Austrum: in planicie conditum, quæ ab indigenis vulgo appellatur *Ongol*, unde & non raro id nomen huic oppido tribuitur à scriptoribus Hispanis. Amnis qui à nivosis montibus sive Andibus descendens, hanc planiciem dividit, præterlabitur oppidum ad Australem plagam; alter vero torrens qui aliquot molas in oppidanorum usum circumagit, ad Arctoam: ita ut oppidum inter utrumque jaceat.

Ongol.

Ager hujus oppidi & frugum est fertilis & pascuis dives; omnisque generis fructus & felicissime hic nascuntur & tempestivè maturantur. Unde hic non modo optimum vinum premitur, sed & ficus & uvæ passæ siccantur. Concluditur utrimq; altis montibus, ita ut oppidum ab Andibus quidem sive nivalibus montibus absit leucas octo, ab alteris autem montibus qui propius ad littus maris Australis accedunt, vulgo *la Serania*, duabus aut ad summum tribus: & ager hic in latitudine inter ortum & occasum x pateat leucas; in longitudinem inter Arctum & Austrum octodecim: versus Arctum quidem leucas octo, ab oppido ad flumen quod vocant *de la Laxa* (quia certo loco *de Cataracte* se præcipitat in altitudinem orgyarum pene xx) versus Austrum vero x leucas, ab eodem oppido ad fines oppidi Imperialis, secundum viam quæ ad illud ducit.

Magna hic cupressorum copia, quæ non modo materie beneolente, sed & *Lacca*, ut vocant, lacryma commendantur.

Biobio.

Secant hanc provinciam plures fluvii, imprimis *Biobio*, qui plures minores acceptos secum devehit, & is qui *Nivequeten* appellatur ab indigenis. Nec desunt præstantia auri metalla, licet ob operarum & mancipiorum inopiam fere intacta. Duo deniq; sunt in oppido monasteria, Dominicanorum & Franciscanorum: & quia barbari indigenæ, qui continuo cum Hispanis bellum gerunt, haud longe ab oppido agunt, ut plurimum ducenti præsidarii Hispani hic stativa dicuntur habere.

Imperial.

Imperiale oppidum, abest ab Æquatore versus Austrum viii & xxx gradibus & xl scrupulis: ab oppido *de los Confines* versus Africum aut Zephyro-notum leucas xx: ab Oceano denique Australi leucas iv. Conditum est ad ripam fluminis *Cauten*, quod è summis nivalium montium jugis præcipitans, & ad occasum properans, latus Australe hujus oppidi præterlabitur, & cum altero amne, qui occiduum illius latus radit junctum, efficit cornu quoddam terræ, convexum & præceps, difficileque ascensu, super quod oppidum constructum cernitur.

Ager hujus oppidi patet in longitudinem leucas xviii, ab oppido quidem versus Arctum leucas decem; ad Austrum vero ad ripas fluvii *Queule* (qui ab Æquatore

Queule fl.

tore

tore distare dicitur novem & triginta gradibus & semisse) leucas octo: In latitudinem leucas viginti inter occasum atque ortum, ab oceano nimirum Australi, ad Andium usque radices. Est autem passim frumentorum feracissimus; nec malignè tolerat vites, licet cœlum uvas haud bene maturet, præterquam unius generis, quas vulgo vocant muscatas. Pascua quoque subministrat armentis læta; nulli tamen hic casei premuntur, quia vaccæ lac haud satis idoneum dicuntur edere.

Minora navigia ad oppidum usque possunt ascendere; cæterum littus est importuosum & arenarum puluillis inquinatum, nec supra dimidiam orgyam sub ipsa ora altum.

10 Secundus *Chilensis* præfecturæ Episcopatus ab hoc oppido nomen habet. In Diœcesi autem supra octuaginta millia barbarorum esse dicuntur, qui Hispanis non minus quam cæteri sunt infensi, ita ut superioribus annis ab ipsis hoc oppidum dicitur fuisse excisum.

Opulentissima denique hic sunt auri metalla, è quibus maxima auri vis erui posset si per indigenas liceret, aut operarum copia suppeteret.

C A P. XI.

Urbes Villa Rica, & Valdivia, & regiones adjacentes.

20 **V**RBS, quæ *Villa Rica* Hispanis appellatur, abest ab Æquatore versus Austrum novem & triginta gradibus, ab oppido *Imperiali* circiter leucas sedecim versus Euro-Austrum: ab Oceano Australi viginti & quinque versus ortum; ab Andibus sive nivalibus montibus versus occidentem tribus. Sita est ad occidentale latus Lacus quem Indigenæ vocant *Mallabanquen* & illius emissarium, quem vulgo dicunt *Rio Tolten*: patet autem hic Lacus inter ortum & occasum leucas tres, inter Tolten fl. Arctum vero atque Austrum duas. Ad caput illius, quod Euro-Austrum adspicit, situs est mons flammivomus sive Vulcanus, ad cujus radices fons cernitur, qui duabus ingentibus scaturiginibus exsiliens, torrentem producit, qui brevi intervallo Lacui miscetur.

30 Ager suburbanus satis fœcundus fertur, solo argilloso, è quo optimi fiunt lateres: cætera assurgunt in colles & fere sterili sunt solo; licet plurimas pinus alat, quas Hispani *Pinnonnes de Libano* appellant: harum fructus ita sagineant sues, ut vix ulla alia regio præstantiorem suillam generet, aut gratioris saporis.

Sub radicibus montium degunt barbari, qui nominantur *Pulches*; ferox hominum genus & omnium rerum indigum, venatu ut plurimum vitam tolerans & in feras sagittis suis exanimando satis gnavum & industrium. Trans nivosa autem Andium juga versus ortum, jacet planicies arenosa, deserta penitus & aquarum inops & mera solitudo.

40 Porro Agri sive Diœceseos hujus oppidi fines sunt, ad Arctum quidem fluvius *Tolten*, qui ab oppido abest leucas octo: ad Austrum vero secus viam quæ *Valdiviam* ducit, ad vallem usque *Marequinam*, totidem. Regio maxima sui parte frigidior est, & frumenti vitiumque minus fœcunda: Oppidani fere dant operam linificio, texuntque optimos pannos & amicula linea, quibus commercia tum in hac præfectura tum alibi exercent.

Valdivia, urbs toto hoc terrarum tractu celeberrima, pene media jacet inter Valdivia. arctoum *Chilensis* Præfecturæ limitem & Fretum Magallanicum: Sita est in provincia quam Indigenæ peculiari nomine vocabant *Guadallanquen*; duabus circiter leucis ab Oceano Australi, & quadraginta non plenis gradibus ab Æquatore versus Austrum secundum *Herreram*; qui & hoc à curiosis observatum prodit, quum in urbe 50 Hispalensi Hispaniæ jam meridies est, in hac urbe solem adhuc quinque horis & tertia parte horæ à meridie abesse; id est, si recte rationem ineas, octuaginta gradibus à meridiano Hispalensi versus occidentem distare.

Percommodum habet portum, qui ad arctum patet & grandiores quoque naves admittit; fluvius placidus, limpidus & amœnus, supra urbem in duos alveos divisus, totidem ostiis in portum egreditur: majorem autem alveum subire possunt navigia ad leucas duas; ad minorem tamen urbs condita, super convexam & præruptam

ruptam planiciem, quæque reliquam soli superficiem circiter quinque orgyis supergreditur, æstus autem marini ascendunt utrumque alveum, ad planiciem illam, undique collibus incinctam, quam supra diximus vocari *Guadalcanal*.

Ager hujus urbis (qui tamen quam longissime abest ab ipsa urbe & ut quidam produnt, circiter leucas decem) maxima sui parte humilis & planus, perfructuosus & tritici atque hordei feracissimus, fructuum quoque omnis generis, præterquam uvarum, quas cœlum hic non satis mitigat aut maturat. Fines habet, ad Arctum quidem vallem *Marequinam*, à qua ad urbem numerantur leucæ octo: ad austrum vero ab urbe leucas decem; ita ut in longitudinem inter Arctum atque Austrum pateat leucas octodecim: & fere totidem in latitudinem, nimirum ab Oceano Australi ad urbem leucas duas, ab urbe porro ad Andium radices sedecim.

Nulla hujus *Chilensis* Præfecturæ pars tam copioso, tamque absoluto auro abundat: nam constans fama est, quum Præfectus *Valdivia*, à quo urbi nomen hæsit, hic primum pedem figeret, tam divites auri venas hic fuisse; ut singula barbaræ servitia indies viginti quinque, nonnunquam & triginta aureos ut vocant pezos eliquarent. Anno denique MDLXXIX (ut Hispanus nauclerus *Oliverio à Noord* retulit) vicini barbari Hispanos inopinantes aggressi, urbem ceperunt & incolas omnes trucidarunt: postilla tamen Hispani eodem rediisse & urbem restaurasse dicuntur & ibidem ducentorum militum præsidium alere.

C A P. XII.

*Oppida Osorno & Chilue sive Castro, Provincia vicine
& præsertim Chucuito.*

SEXAGINTA aut paulo pluribus leucis ab oppido *Concepcionis* versus Austrum & Fretum Magallanicum sita est urbs *Osorno* (ut ab *Herrera* traditur) septem circiter leucis ab ora maris Meridionalis; duobus & quadraginta gradibus ab Æquatore versus Austrum: in regione frigidiuscula & annonæ omniumque rerum ad vitam humanam necessariorum indiga; sed auri metallis opulenta; unde fit ut hæc urbs (teste Hispano nauclero, quem *Oliverius à Noord* in illis partibus ceperat) multo amplior & frequentior sit ipsa *Valdivia*: oppidani præterea pannorum tam laneorum quam lineorum copiam texunt: In agro atque adeo limitibus hujus urbis, supra ducenta millia barbarorum dicuntur habitare, qui Hispanis tributum pendunt & gratis inserviunt.

Urbium denique quæ ab Hispanis in hac regione habitantur extrema est, quæ vulgo *Castro* appellatur, barbaris autem *Chilue*: ea sita est in una insularum, quæ magno numero sparsæ sunt in Lacu sive freto *Ancud* vel *Chilue*, ut ab indigenis nominatur, quadraginta duabus leucis ab oppido *Osorno* versus Austrum. Archipelagus autem harum insularum initium sumit quadraginta & tribus gradibus ab Æquatore versus polum Antarcticum. In vicinia hujus oppidi *Castro* supra duodecim millia barbarorum incolunt, qui Hispanis sunt attributi; nam insulam in qua urbs condita est, ad quinquaginta leucas in longitudinem patere scribunt Hispani (quod tamen minus verisimile est) & in latitudinem, ubi latissima est, novem; ubi angustior est, tantummodo duas.

Omnis autem hæc ora æstuariis & intercurrentibus alveis est divisa, multæque insulæ hic objacent continenti, usque ad altissima Andium juga, quæ hic ipsi Lacui sive Freto imminent. Solum harum Insularum, montibus undique est conclusum, *Mayzii* fertile, neque triticum malignè tolerans: Auri vero supra modum locuples, ita ut ramenta illius ad ipsum usque littus deprehendantur, quod alibi rarissime solet accidere.

Nauclerus ille, de quo supra, urbem hanc testatur quatuor & quadraginta gradibus ab Æquatore versus Austrum distare, & in insula sitam esse quæ ab Hispanis quaquæ versum colitur, abundareque lanis ovium *Chilensium*, è quibus ibidem optimos pannos & togas conficiant.

Hæc urbs (uti è commentariis *Georgii Spilbergii* didicimus) à Belgis nostris, non

non magno negotio intercepta fuit, ducibus *Balthasare de Cordes* & *Antonio Antonide* cognomento *Nigro*, (qui cum navi, cui Fidei nomen erat, Fretum Magallanicum penetraverant) rursusque amissa. Verum rei gestæ series non satis mihi comperta est: nisi quod à quibusdam accepi, nostros quum incautius agerent, ab Hispanis qui ab Osorno suis auxilio venerant inopinantes fuisse oppressos. Vidi tamen hujus loci delineationem ab hoc *Antonio Nigro* satis accurate factam, è qua observavi, hoc oppidulum quadraginta & tribus gradibus ab Æquatore distare versus Austrum; insulamque in qua situm est, in longitudinem pene inter Arctum atque Austrum expansam esse, secus oram Maris Meridionalis. Oppidum non nisi una aut
 10 altera leuca distitum est ab eadem ora, licet longo & sinuoso itinere ad ipsum perveniendum sit: nam ad Septentrionale Insulæ cornu, canalis sese insinuat tendens ab occasu in ortum (ore circiter duas leucas & dimidiam lato) & circa gremium orbicularis & incurvus, ubi in angustum alveum contrahitur, rursusque se diducit in amplissimum fretum, crebris minoribus insulis divisum: oppidum autem *Castro* petentibus, insulæ ora quæ orientem respicit primum radenda est versus Eurum, usque ad angustum Insulæ promontorium, quo superato deflectendum est ad dexteram & Africum versus, & paulo ulterius provectis rursus vela sunt vertenda versus Corum, usque ad stationem ipsius oppidi, quod
 20 jacet inter duos torrentes, cum exigua arce, quæ ipsi stationi sive portui incumbit; reliquæ oppidi ædes hac illac sunt sparsæ, & repræsentant magis pagum aliquem, quam oppidum, quippe quæ nullis mœnibus aut vallo sint incinctæ.

Præter hæc *Chilensis* Præfecturæ oppida jam à nobis commemorata, alia insuper duo pertinent ad præfecturam *Chilensem*, trans Andium juga & ad orientalem eorundem montium plagam sita, in provincia quam vulgo vocant *Chuciuato* (*Herrera* etiam alibi appellat *Cuyo*) regione frigida & infœcunda; nempe *Mendoza* & *Sant Iuan de la Frontera*; utraque à *Garfia de Mendoza*, ut ferunt, condit, quum præfectus esset *Chilensis*.

Oppidum *Mendoza*, pene ex adverso oppidi *Sant Iago* *Chilensis* provinciæ situm est, quod supra descripsimus, circiter quadraginta leucis ab ipso distitum versus ortum solis; quo perdifficili itinere & per alta Andium juga & perenni pene nive tecta proficiscendum est è provincia *Chilensi*; nam è provincia fluminis *de la Plata* ad hoc quoque iter pertinet, ut mox dicetur. Mendoza.

Alterum oppidum *S. Iuan de la Frontera* à superiori paulum divergit versus Austrum. Quantum è *Belga* quodam, qui ex provincia fluminis *de la Plata* hac iter habuit & penetravit in *Chilen*, potui expiscari; oppidum hoc *S. Ioannis* haud supra centum & decem leucas distat ab oppido *Buenos Ayres* (de quo suo loco dicemus) recto quidem, sed solitario itinere; quare hoc oppidum petentes ut plurimum à *Buenos Ayres* per *Cordabam* instituunt iter, longius quidem illud, sed longe frequentius accolis ideoque & securius. lib. XIII.

Idem testatur, *Chilensem* provinciam circa oppidum *S. Iacobi* latissimam esse, & ab illo ad pontem è viminibus textum, & inter convalles montium, flumini quod illac discurret superstratum, sexaginta milliaria numerari; ita ut oppidum hoc *S. Ioannis de la Frontera* longius à Mari Meridionali abesse necesse sit, quam vulgo in Tabulis Geographicis collocetur.

Quot autem gradibus hæc oppida ab Æquatore versus Austrum absint, & quæ agrorum facies aut conditio sit, à nemine adhuc inveni descriptum, quare de his hæc tenentur dicta sunt.

*Orae omnis maritimae Chilenſis, Portuum, ſtationum, ſinuum &
Promonteriorum deſcriptio ad trigefimum tertium gradum
Auſtralis latitudinis.*

C*Hilenſis* Præfecturæ ora maritima, ut ſupra diximus; ſumit initium à ſinu & valle *Copiapo*, viginti ſex gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum: ab hoc ſinu verſus meridiem oram legentibus (ſecundum *Petrum de Cieça*) primo¹⁰ occurrit Angulus quidam Continentis nonnihil prominens, & pone illum ſinus, ſupra quem duo ſcopuli eminent, & ſinu hoc enavigato fluviuſ, quem vocant *Guaſco*; viginti & octo gradibus & quindecim ſcrupulis ab Æquatore verſus Auſtrum. Intervallum inter *Copiapo* vallem & *Guaſco* eſt triginta leucarum, ut ſcribit *Herrera*, qui *Guaſco* collocat viginti novem gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum: *Oliverrius* noſter obſervat *Guaſco* ad vigefimum octavum gradum & dimidium; ſcribitque ibidem ſatis commodam eſſe ſtationem navibus, pone ſcopulos qui hic Continenti objiuntur, fluviuſque ejuſdem nominis in ſinum ſe evolvere, optimæ quidem aquæ, ſed aquationi minime opportunum eſſe, ob difficilem aditum; cæterum regionem hanc ad oram pauciſſimis arboribus veſtitam eſſe, nec ulla hominum habitatio-²⁰ ne cultam, niſi procul à littore.

Haecenus ora fere ad Africum pertinet: A *Guaſco* vero paulo magis ſe flecit ad Auſtrum, uſque ad portum *Coquimbo*, triginta gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum, uti ab *Herrera* traditur, & ab Equite Anglo *Richardo Hawkino* eſt obſervatum: *Petrus* vero *Cieça* qui hanc oram particulatim proſequitur, dicit hunc portum tantum viginti & novem gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore diſtare; cui & *Fullerus* adſtipulatur, qui cum *Candiſchio* hanc oram viſitavit. Portus autem hic, à *Richardo Hawkino*, inter præcipuos huius Meridionalis Americæ portus celebratur, tum ob inſignem capacitatem, tum potiſſimum, ob ſummam illius ſecuritatem; eſt enim adverſus incerta ventorum undiquaque tutus, & commodiſ-³⁰ ſimam præbet navibus ſtationem inter Continentis oram & ſcopulum illi obiectum.

Decem ab hoc portu leucis (ut *Petrus de Cieça* annotat) ruruſus prominet cornu, quod ſinum pone ſe aperit, quem vulgo vocant *Atongayo*, à quo ad *Limaram* amnem quinque numerantur leucæ; ab hoc porro novem ad alium ſinum, qui *Choapa* vocatur, triginta & uno gradibus ab Æquatore verſus Auſtrum; ubi nulla^{Quintero.} datur aquandi opportunitas; ab iſto denique una & viginti leucæ ad portum *Quintero* triginta duobus gradibus ab Æquatore.

Angli obſervant eundem portum ad trigefimum tertium gradum & aliquot ſcrupula: *Georgiuſ Spilbergiuſ* noſter quum hanc oram legeret, conſtitit cum claſſe⁴⁰ ſua in hoc portu; teſtaturque pulcherrimum & longe amœniſſimum eſſe ſinum & ab omni parte tam egregie adverſus incerta ventorum & tempeſtates munitum, ut opportunam & ſecuram navibus ſtationem præbeat. Summa præterea eſt hic aquandi opportunitas: nam ad Auſtrale illiuſ latus, amniculuſ evolvitur in ſinum limpidiſſimæ aquæ, & haud longe inde alter optimorum piſcium copiam nutriens; nec lignandi commoditas deeſt; ita ut merito inter præſtantiſſimos huius oræ portus cenſeri debeat. Dum noſtri hic aquationi darent operam; plures intra Continentem conſpexerunt equoſ ſilveſtreſ & indomitoſ, qui gregatim ad rivulum, (qui haud procul inde de jugis montium præcipitans in amniculum ſupradictum deſcendit) potandi gratia accedere ſoliti, poſtquam noſtroſ viderant, celeri fuga in⁵⁰ ſylvaſ ſe ſubdixerunt, nec poſtilla comparuerunt; pauci admodum hic habitant Hiſpani & fere procul à littore.

Valparayſo. A *Quintero* ad *Valparayſo*, ſeptem leucas numerat *Herrera*; *Petrus de Cieça*, cum quo *Hawkinuſ* conſentit, decem: De latitudine multum variant inter ſe authoreſ: A *Cieça* enim obſervatur ad trigefimum ſecundum gradum & quadraginta ſcrupula;

Pula; à *Fullero* Anglo ad trigessimum tertium & quadraginta scrupula; ab *Oliverio* à *Noord*, ad trigessimum tertium tantum: ut difficile sit dictu, quid potissimum sequendum sit in tanta varietate, sed de hoc portu jam supra plura diximus.

cap. 5.

C A P. XIV.

Ora Chilensis reliqua à Valparayso ad quadragesimum secundum gradum latitudinis Australis aut paulum ultra.

10 **A** Portu *Valparayso*, procedendo versus Austrum, ora aliquot sinibus & promontoriolis lancinatur usque ad fluvium *Maypam* & intervallum est circiter *Maypa* quinque leucarum: Ab hoc ad fluvium *Chacapol* leucarum circiter sedecim: à *Chacapol* ad cornu terræ quod in Tabulis Hydrographicis vulgo *Punta de Bairres* appellatur, leucæ constituuntur quatuor; à cornu ad hoc flumen *Maule* viginti quatuor: hic fluvius claudit limitem Dioceseos oppidi *Concepcionis* versus Arctum, ut supra diximus.

A *Maule* ad fluvium *Yraten* ab *Herrera* quidem tres supra viginti, à *Petro de Cieça* *Yraten* autem quindecim numerantur leucæ; qui distat ab Æquatore sex & triginta gradibus & quindecim scrupulis, ut bene ab eodem *Cieça* fuit observatum.

20 Ab hujus fluvii ostio paululum se subducit ora versus Eurum, panditque primò, (trium pene leucarum intervallo) portum sive sinum quem à soleæ equinæ forma vulgo ab Hispanis diximus appellari *la Herradura*: ab hoc ad *Concepcionis* *Penco* portum, qui barbaris appellatur *Penco*, quatuor aut quinque restant leucæ.

Angli juxta atque nostrates scribunt, hunc portum vel potius stationem distare ab Æquatore sex & triginta gradibus & quadraginta scrupulis. Portus denique hic valde commendatur à nostratibus qui illum anno 1610 subjerunt; testantur enim in ipso aditu esse ad triginta orgyas altum, nullumque ingredientibus discrimen à vadis aut scopulis metuendum esse; nisi quod manifeste in omnium oculos incurrit; pone angulum, qui ab austro venientibus & ingredientibus dexter est, 30 jacet exigua insula haud supra unum milliare longa & vix dimidium lata, inter Aquilonem pene & Africum expansa, & freto circiter unum milliare lato à Continente divisa: in hac aquandi facultas peropportuna est: alit insuper diversas fruges, legumina & optimas radices quas vocant potatos: ibidem & gallinarum reperitur copia & non exiguus numerus ovium: Denique quum latitudinem accuratissimè fuissent dimenssi, sex & triginta gradibus, duobus & quinquaginta scrupulis ab Æquatore versus polum Antarcticum divergere observarunt.

40 Continentis autem solum hîc non ita editum est, verum ubi paululum proventus fueris versus Austrum, triplici ordine in altissima montium juga ascendere deprehenditur, quæ perenni nive recta visuntur & eminentibus rupibus hic illic aspera: qui sub hisce montibus apparent colles, neque ita editi sunt, neque nivosi, sed densis arborum lucis opaci amœnissimo prospectu. Ad ipsam quoque maris oram, tellus cernitur modice elata, verum arboribus nuda, & quantum eminus discernere datur infœcundior.

De Insulis *S. Mariae* & *la Mocha* quæ Continenti objacent, supra satis multa diximus, itaque nobis propositum hic, ab ora neutiquam declinare.

A sinu *Penco* ad flumen *Biobio*, tantum duæ numerantur leucæ, itinere terrestri, *Biobio fl.* maritimo enim paulo plures sunt, ob bicornem Continentis promontorium, quod hic in altum se exserit vasto spatio.

50 A *Biobio* ad flumen *Labapi*, numerat *Herrera* leucas quindecim (quæ duo flumina *Labapi fl.* patienti & spatioso sinu dirimuntur, ad quem Araucana provincia jacet) flumen autem *Labapi* distat triginta & septem gradibus & triginta scrupulis ab Æquatore versus Austrum, secundum *Herreram*: labitur autem ab arce quam Hispani hic tenent contra Araucanos, versus Africum; ita ut in ipsum sinum videatur exire: ceterum tantum minoribus navigiis navigatur; plurimis piscibus fœrum.

Ab ostio *Labapi*, vel promontorio ejusdem nominis ad amnem *Lebum*, sex numerantur leucæ; ad hujus ripam oppidulum *Cannete* conditum fuerat à *Garsia de* *Lebo fl.*

Mendoza, pene octo & triginta gradibus ab Æquatore; quod tamen oppidani ob ingruentia bella cum barbaris vicinarum provinciarum postea coacti fuerunt deserere, ut nunc vix memoria illius superfit.

Carnero. Sequitur deinceps ad eandem oram incerto intervallo portus *Carnero*, ubi ii, quibus propositum est Confinium oppidum petere, solent exscendere.

Cauten fl. Hunc non longo intervallo excipit promontorium *Cauten*; à quo ad fluvium ejusdem nominis leucæ quatuor numerantur ab *Herrera*; distat autem ab Æquatore, ut volunt, octo & triginta gradibus & quadraginta scrupulis, hunc fluvium aditum aperire ad oppidum Imperiale, diximus supra.

Cap. 10.
Tolten fl. A *Cauten* ad fluvium *Tolten*, sex numerant leucas; latitudo illius dicitur novem 10 & triginta graduum ab Æquatore versus Austrum. hic fluvius navigiis ferendis idoneus judicatur, licet non ita grandibus.

Queule fl. A *Tolten* ad *Queulen* itidem amnem, octo statuuntur leucæ; & latitudo novem & triginta graduum & triginta scrupulorum: patet hic amnis mediocri ostio adversus Arctum, non nisi mediocribus navigiis ferendis idoneus.

Valdivia. A *Queule* ad *Valdiviam*, novem statuuntur leucæ; distat ab Æquatore quadraginta gradibus, demtis pauculis scrupulis; totoque illo spacio vastissima Andium juga videntur ipsi pene littori incumbere.

Vidi delineationem *Valdivia* & illius oræ atque portus, sed fatis rudem; è qua tamen observavi; inter duo Continentis veluti cornua, quorum arctoum vocant 20 *Punta S. Nicolai*, Australe autem *Punta Coral*, mare se intra Continentem insinuare alveo tertiam partem leucæ lato, in patentissimum sinum, qui & ab Austro & ab Ortu vastis montibus concluditur; inter quos tamen egreditur fluvius *Chabin*, aut ut tabula illa præfererat *Rio Denlay Cabrero*: cornu autem *S. Nicolai* ad ortum objacet exigua insula quam vocant *Constantini*; inter utrumque autem ingrediuntur naves quæ *Valdiviam* petunt per canalem, qui ubi insulam *Constantini* post tergum reliqueris, rursus dividitur ab Insula, quam vocant *de Don Pedro*; in duo veluti brachia, quorum sinistrum, quod vocant *Porto Claro*, minora ascendunt navigia; dextrum grandiora, coeuntque rursus ante ipsam urbem: dexterum autem subeuntibus, occurrunt duo amnes, quorum unus ab ortu videtur descendere & vocatur *Rio de* 30 *Tensuelen*, alter à Coro, *Rio de Aufachilla* (vereor ne hæc nomina corrupta sint à scriptoribus) à quibus oppidum petentibus, flectendum est ad sinistram, ubi fluvius, qui proprie *Valdivia* dicitur, secus urbem delabitur, è Lacu *Guadaluquen*. Denique inter Australe cornu *de Coral*, & promontorium *de la Galera*, cui aliquot scopuli objacent, interjacet *Morro de Gonzalo*, ut vocant, qui sunt editi montes, & pone illos Continens omnis in vasta juga dicitur assurgere.

Chabin fl. A *Valdivia* ad fluvium *Chabin*, qui quantævis magnitudinis naves admittit, tres numerantur leucæ, & ab illo ad Promontorium quod vocant *de Galera* duæ; à quo ora directè fertur versus Austrum: & porro ad amnem, qui *Rio Bueno* dicitur, leucæ septem. Hic amnis recipit supra ostium suum septem minores amnes, & imprimis 40 unum qui haud longe ab oppido *Valdivia* labitur.

Villiva. A *Rio Bueno* ad promontorium (sive Angulum *Villiva*) quod distat ab Æquatore uno & quadraginta gradibus versus Austrum, leucæ numerantur decem: & ab hoc ad promontorium *S. Marcelli* septem: Omne hoc littus ob imminetia altissima Andium juga præceps est; & mare quod alluit altum, licet nullis scopulis vadisque contaminatum sit, tamen importuosum habetur; aut si aliqui hic reperiuntur portus, parvi admodum sunt, momenti neque hætenus, quod sciam, lustrati aut observati.

Chanqui. A promontorio *S. Marcelli* ad *Chanqui* itidem promontorium, numerantur octo leucæ, distat ab Æquatore versus Austrum unum & quadraginta gradibus & tri- 50 ginta scrupulis & circiter dimidiam leucam ab hoc promontorio versus Arctum objacet continenti modica insula à barbaris culta, & tres aliæ minores & incultæ, quæ universæ paulum plus quam unam leucam occupant.

A *Chanqui* ad promontorium *de la Vallena*, numerantur leucæ quatuor, inter utrumque autem promontorium insinuat se mare, efficitque Fretum quoddam, quod Hispani vocant *de los Coronados*; id vasto impetu in Continentem invadens, pone ob-
longam

longam insulam, (de qua supra diximus quum de *Castro* sive *Chilue* ageremus) implet Lacum illum, qui ab aliis *Ancud*, ab aliis *Agulay* appellatur, nominibus, uti cap. 12. verisimile est, barbaris.

A Promontorio *de la Vallena* ad Promontorium *S. Felicis*, colligunt novem vel decem leucas, id distat ab Æquatore versus polum Antarcticum tribus & quadraginta gradibus: ora autem hic se incurvans sinum admittit; in continenti vero plurimas auri venas reperiri constans fama est.

Haecenus ora maritima Præfecturæ Chilensis, quatenus ad hunc diem aut ab Hispanis habitatur, aut paulo accuratius fuit observata, pertinet. Nunc antequam ad sequentem provinciam & Magallanicum Fretum progrediamur, obiter attextenda sunt quæ *Ynca Garcilasso* de hac Præfectura scribit, imprimis observanda, licet superius obiter quædam de hisce meminerimus.

C A P. XV.

Excidium urbis Valdiviæ & aliorum oppidorum Chilensis præfecturæ quemadmodum narrantur ab Ynca Garcilasso.

RELATIO de excidio urbis Valdiviæ, quod accidit anno cLo Io xcix vigesimo quarto Novembris. Sub auroram illius diei incubuit urbi exercitus quinque millium barbarorum, qui in vicinia degunt, & circa oppidum *Imperial*, *Picam* & *Puren*; in quo erant ter mille equites & reliqui pedites, inter quos fuisse dicuntur septuaginta sclopetarii, & supra ducentos ferreis thoracibus muniti. Supervenerunt autem oppidanis inopinātibus, quia speculatores ex ipsa urbe adduxerant: & oppidani somno sepulti, excubitores extra oppidum disponere neglexerant præterquam duos: quia nihil sibi ab hostibus metuebant, quibus circiter viginti diebus ante, castellum quod communiverant in loco dicto *la Vega*, abstulerant; pluresque eorundem cæciderant juxta paludem *Paperlen*, ita ut sibi persuaderent, intra octo leucarum spatium non superesse hostes, qui adversus ipsos auderent hiscere aut quos merito deberent metuere. Barbari itaque Hispanis inopinantibus oppidum ingressi, singulos calles occuparunt, & portarum aditus obseperunt, & flammis in domos injectis, omnes ædes concremarunt & solo tenus everterunt, quin & arcem interceperunt jam desertam, & machinarum bellicarum compotes sunt facti. Cæсорum & captivorum numerus fuit, quadringentorum Hispanorum, qua virorum, qua fœminarum & infantium; pauci admodum evaserunt ad tres naves, quæ commodum in vicino flumine in anchoris consistebant, absque quibus fuisset vix unum qui nuntium tantæ cladis ad Hispanos perferret, fecissent reliquum. Efferaverant barbaros clades plures jam ante acceptæ, imprimis vero quod Hispani fœminas eorum & liberos captos vendiderant, & in miseram servitutem alio traduxerant: licet jam à quinquaginta annis Hispanis obsequentes, plerique eorum baptizati & à sacerdotibus in religione Christiana fuissent instituti.

Decimo post hoc excidium die, advenit Tribunus militum *Franciscus de Campo* à Pro-Rege missus cum supplemento trecentorum militum; qui nihil prius habuit quam reliquis oppidis, quæ barbari post Valdiviæ excidium validis copiis obsederant & arcte premebant, succurrere; & imprimis *Osrno*; quod oppidum tum à simili excidio feliciter defendit. *Imperialis* enim incolæ post obsidionem pene integro anno toleratam, & magnam partem inedia & aliis incommodis enecti, & pauci admodum superstites deditionem jam fecerant, à barbaris in miseram servitutem abrepti.

Altera Relatio apud eundem extans è Peruvia missa anno cLo Io cii, quæ pervenit in Hispaniam anno cLo Io civ ita se habet.

Barbari de tredecim urbibus quas Hispani in Chilensi præfectura possidebant, sex omnino destruxerunt, *Valdiviam*, *Imperiale*, *Angol*, *Sanctam Crucem*, *Chillam*, & *la Concepcion*. Demoliti fuerunt & desolarunt omnes ædes, profanarunt templa, imaginibus omnibus confractis, & agris summam intulerunt vastitatem; atque animis propter hunc successum, mirum in modum auctis, obsidione cinxerunt oppidum *Osrno*, Hispanosque compulerunt in castellum, & aliquandiu fame obsessos


macerarunt, tandemque illos opprefferunt, atque omnes captivos abduxissent, nisi à supervenientibus auxiliariis magnam partem fuissent è manibus illorum liberati.

Denique interceperunt Villam Ricam, eamque penitus everterunt, injecto in quatuor urbis partes incendio, & pluribus incolarum trucidatis, foeminisque & pueris in miseram servitute abductis; atque ita quoque excidium intulerunt oppido illi imprimis opulento & florentissimo.

Denique barbari Chilenses tantos sumserunt ob felices hos successus, animos, tantumque in armis profecerunt, ut jam equo vehi & lanceis atque aliis Europæorum armis tam dextre uti didicerint, ut nulli non Hispano jam in os obsistere audeant: quotannis autem supplementa militum è Peruvia mittuntur ad Chilen, quorum paucissimi incolumes revertuntur. E quibus satis liquet, quod ante monuimus, Chilen multo sanguine Hispanis & constitisse olim, hodieque constare: nec ullam partem hujus Continentis facilius Regi Hispaniarum eripi posse, nec majori operæpretio, quam hanc, nisi tam longa navigatione ad illam opus esset, quæ tamen compendiosior multo esse cœpit, postquam Belgæ nostri fretum illud novum invenerunt, de quo proximo libro dicemus.

DESCRIPATIO





59 58 57 56 55 54 53 52 51 50 49 WE 48 ST 47 46 45 44 43 42 41 40 39 38 37

- 1 Abra de San Victoriana
- 2 Roca partida
- 3 Porto de S. Amaro
- 4 C. de S^{ta} Catalina
- 5 C. de la roja
- 6 P^{ta} de S. Augustin
- 7 P^{ta} de los inocentis
- 8 P^{ta} de los Reyes

CHILI.


PROVINCIAE SITAE
 AD FRETUM MAGALLANIS
 itemque
 FRETUM LE MAIRE.



NIEZ
WE
ZVYD
ZEE
ZVYDT

NOORDT

MAR DEL NORTE



59 58 57 56 55 54 53 52 51 50 49 00 48 ST 47 46 45 44 43 42 41 40 39 38

